

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2017

Auteur(s) : Gautier de Coutances, Rouen (archevêque)

Bénéficiaire(s) : Rouen (chapitre cathédral)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : ...1198, septembre...

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Gautier de Coutances, reconnaissant de l'appui que le chapitre de Rouen lui avait prêté dans ses débats avec le roi Richard, lui donne la dîme de Dieppe et de Bouteilles.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bonnin Théodore, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissey, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° LXXXIV, p. 122-123.

Dissertation critique

Datation proposée par Th. Bonnin.

Texte établi d'après a

Omnibus Xpisti fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit, W[alterus], Dei gratia, Rothomagensis archiepiscopus, salutem in Domino.

Vera fraternitas et caritas amicorum ex fructibus optime declaratur que sicut temptationibus communicat et compatitur in adversis, ita pari solatio non inmerito debet in prosperis congaudere. Quum igitur carissimi filii nostri hujus ecclesie concanonici, dum pro tuendo hujus ecclesie patrimonio contra reges et presides magnis expensis, gravissimis sudoribus et periculis certaremus, nobiscum in temptationibus nostris viriliter et fideliter permanserunt, dignum et justum est ut quod de laborum nostrorum proventibus, auxiliante Domino, nostris utilitatibus imperpetuum adcrevit, non sit eis penitus alienum, sed qui in parturiendo nobiscum doluerunt, partus nostri fructu pariter et leticia jocundentur.

Inde est quod de omni redditu et proventu quem ex Depa et Botellis et earum pertinentiis singulis annis vel nos vel successores nostri futuris temporibus ad usus proprios consequemur, concessimus eisdem canonicis nostris in perpetuam elemosinam et donavimus decimam partem integre recipiendam singulis annis in festo beati Romani, confessoris et patroni nostri, dividendam fratribus, qui ad diem obitus nostri officium pro nobis anniversaria consuetudine celebrabunt. Interim autem dum viventes erimus ipsi canonici qui ad solemnitatem predicti confessoris convenerint eandem summam decime recipient equis portionibus inter se more communie dividendam. Volumus autem et precipimus ut prefata decima ipsis canonicis ad prefatum terminum integre persolvatur a firmariis nostris si prescriptas villas ad firmam tradiderimus.

Si vero eas in manu nostra retinuerimus et ita liquido non potuerint redditus et proventus estimari, eorum estimatio quatuor legalium virorum earumdem villarum arbitrio relinquetur, qui jurati bona fide summam tocius redditus declarabunt.

Ut autem hec nostra donatio firma et stabilis in perpetuum perseveret, nec aliquod successorum nostrorum possit machinatione convelli eam sigilli et scripti nostri dignum duximus patrocinio communire.

Hoc autem factum est anno ab incarnatione Domini M^o C^o XC^o VIIJ^o.

Nos autem, de misericordia Dei et beate Marie Genitricis Dei meritis et beati patroni nostri Romani confisi, omnes illos anatematizamus et maledicimus ut indignationem et iram omnipotentis Dei et beate Marie et beati Romani et omnium Sanctorum incurant, quicumque predictam donationem nostram et confirmationem attemptaverint violare.